

entis ambiat, ut omnium perfectiones in se imbibat, quod in ipso esse, si est actus totius entis, optime apparet, alias petitur principium.

XX. Ad secundum argumentum, respondetur quod in forma subsistente in abstractione formali ab omni materia non potest intelligi aliqua distinctio individualis, quia hæc distinctio fit per principia materialia, cum fiat per infimum gradum in prædicamento, quæ cæterorum omnium susceptivus est, et non pertinet ad constitutionem quidditatis specificæ, sed ad modum et ad statum ipsius, scilicet ut individuetur et multiplicetur, secundum divisionem non formalem, et specificam, sed materialem intra eandem speciem. Repugnat autem, quod ubi est abstractio formalis, quæ excludit omnem materialitatem, includat multiplicationem individualement, quæ fit per materialia principia, si enim excludit principium multiplicationis individuorum. Quod vero dicitur de relationibus divinis, respondetur multiplicari quidem relationes propter oppositionem relativam, sed quidquid perfectionis est in una, est etiam in altera propter infinitatem, quam habent etiam in genere relationis. Unde in ratione perfectionis non opponuntur, sed solum in ipso exercitio respiciendi, et terminandi. De quo amplius dicemus infra circa quæstionem xxviii.

XXI. Ad tertium dicitur, quod accidentia separari a subjecto non est subsistere in abstractione formali, nec remove habitudinem, et aptitudinem ad existendum in subjecto, sed solum sine actuali concursu subjecti, et dependentia ab ipso existere. Unde ex ordine ad subjectum quod in eis remanet, individuatur illa accidentia, et potest in eis manere intensio, et remissio, quæ per ordinem ad subjectum convenit accidenti. Quare ex separatione ac-

tuali a subjecto non dicuntur accidentia esse formæ abstractæ abstractione formali, id est, remove omnes materialitatem, seu habitudinem ad subjectum materiale, et potentiale.

XXII. Ad quartum dicitur, quod aliud est dati naturam subsistentem etiam sine materia, aliud dari formam abstractam subsistentem in ipsa abstractione, vel in suo esse. Non enim dicit Div. Thomas, quod omnis essentia subsistens, seu omnis forma sine materia subsistens est una, et continet omnes perfectiones sui generis, hoc enim est manifeste falsum. Sed quod dicit est, quod forma abstrahens abstractione formali, id est, purificata ab omni eo, quod formale non est, id est, ab omni materialitate, seu ab omni conditione materiali sui generis, et sic subsistens, omnem perfectionem contineret in illo genere, et esset unum. Modo autem anima rationalis non subsistit sine omni materialitate, quia dicit ordinem ad corpus, imo nec Angelus, qui etsi omne corpus excludat, non tamen omnem potentialitatem, quia potest recipere esse, et accidentia. Et tamen quia excludit Angelus materiam physicam non est multiplicabilis individualiter, quia caret principio multiplicationis materialis sine formali, cum sit forma sine materia. De quo latius dicemus infra, q. l.

XXIII. Ad ultimum respondetur ex dictis, quod D. Thomas loquitur de esse existentie, non ut dicit existentiam limitatam, et distinctam ab essentia, sed ut dicit rationem ultimæ actualitatis in genere entis depuratam ab omni potentialitate, et materialitate illius generis, sic enim totius generis entis continet perfectionem, quia omnium excludit imperfectionem, et tunc coincidit cum esse essentia, ut explicatum est.

ARTICULUS II.

Utrum omnes perfectiones creaturarum sint in Deo formaliter, vel solum eminenter?

Præmittenda est triplex distinctio. Prima est de ipsis perfectionibus in se. Secunda, de modo ex parte perfectionis contentæ. Tertia, de modo ex parte perfectionis continentis.

I. Prima distinctio est: Perfectiones aliæ sunt pure increatæ, ut esse actum purum, esse creatorem, et similia, quæ ex vi sui formalissimi conceptus increatæ sunt, nec alio modo concipi possunt. Aliæ sunt pure creatæ, ut esse dependens, esse factum, esse potentiale, esse positum in prædicamento, et similia, quæ stante suo formali conceptu nunquam possunt depurari a ratione creata, et attribui Deo. Aliæ sunt perfectiones medio modo se habentes, quæ ex vi sui formalis conceptus non dicunt determinate perfectionem creatam, neque increatam, potest tamen ad utrumque trahi, et hæc vocari solet perfectio simpliciter simplex, et definitur sic, quod in quolibet ente melior est ipsa, quam non ipsa, id est, ex ipsa ratione entis semper est melior talis perfectio, licet ex particulari conceptu possit ei repugnare, et sic non esse ei bonum sicut lapidi non est bonum vivere, quia destruit naturam lapidis, licet in ratione entis melius esset. Itaque istæ perfectiones ex se simplices sunt, sed tamen ex aliquo adjuncto possunt inveniri in Deo, vel in creaturis, sicut esse, subsistere, vivere, intelligere, nam ex suo formali conceptu nihil dicunt de creato, vel increato, si tamen ei adjungatur aliquid, ratione cuius limitentur, redduntur creatæ v. g. vivere, seu esse humanum, vel an-

gelicum, aut quid simile. Si autem purificentur ab omni ratione limitante, redduntur increatæ.

II. Secunda distinctio est, quod perfectio in alio contenta potest considerari dupliciter, vel quoad essentiam, sive naturam suam, vel quoad modum, et statum essendi, sicut alio modo perfectio invenitur in re, scilicet materialiter, et entitative, alio modo in intellectu scilicet intentionaliter, et intelligibiliter. Similiter alio modo res est in sua existentia, alio modo in virtute suæ causæ et alio modo res est in facto esse, alio modo in fieri, alio modo in tempore, alio modo in æternitate; et sic multa alia exempla poni possunt, nunquam enim una res potest esse in alio secundum eundem modum, quo est in se, quia ille modus et determinatio, qua est in se, est limitatio secundum quam non potest transire extra se.

III. Tertia distinctio est, quod continentia alterius alias est formalis, alia eminentialis, alia virtualis. Continere formaliter est continere aliquid sub ea forma, sub qua natum est existere in se, sicut sol, et ignis continent lucem. Continere eminenter est continere aliquid sub ratione superiori excedente eam, ut est in se, sicut sol continet calorem sub excellentiori forma, quam est in igne, scilicet in forma cœlesti. Et hoc modo effectus sunt in causis æquivocis, et quanto magis crescit eminentia causæ superioris, tanto perfectius, et altius continet res inferiores. Unde in Deo, qui est suprema causa datur continentia rerum omnium supremo modo, id est, quod contineat omnes res secundum omnem, et adæquatam rationem suam, quia totum quod est in eis participatur a Deo. In causis vero creatis quantumcumque superioribus non possunt sic contineri effectus, quia a nulla causa creata manant effec-

tus secundum omnem rationem, quæ in ipsis est, nam saltem secundum id quod tenet se ex parte materiæ, unde sumitur individuatio non emanant a causa creata, quia nulla causa creata facit materiam, sed supponit, alias vero crearet e nihilo, et sic esset creator, non creatura. Virtualiter tantum, et non eminenter dicitur contineri aliquid in virtute causæ sibi æqualis, aut inferioris, ut in causa instrumentali, in dispositione ad formam, in semine, etc. in quibus virtualiter tantum continetur aliquid, id est, in aliqua virtute, et principio, in quo res non continetur actu in se, sed in virtute, non tamen eminenti, et superiori modo. Adhuc autem ea, quæ continentur eminenter in aliquo possunt dupliciter contineri, vel eminenter formaliter, vel eminenter virtualiter. Eminenter formaliter quando invenitur aliquid quantum ad formam, et substantiam suam, in alio modo tamen, et statu altiori, et non cum imperfectionibus, quibus in inferiori, sicut anima rationalis continet vegetativum eminenter formaliter: formaliter quidem quia præbet illud corpori sicut aliæ animæ, quantum ad substantiam, et formam vegetandi; eminenter autem, quia non cum ea limitatione, et modo, quo inferiores animæ, sed altiori utpote forma spiritualis. Eminenter virtualiter continetur aliquid, quando non secundum eandem formam, et substantiam continetur, sed sub alia, quæ in virtute æquivaleret isti, licet non sit sicut ipsa, et modo superiori, atque elevationi id continet, sicut sol continet herbam eminenter, non tamen in se habet herbam formaliter, sed virtualiter.

IV. His positus punctus difficultatis consistit in tribus. Primo, an perfectiones simpliciter simplices possint secundum suam formalem rationem, et proprium conceptum

esse formaliter in Deo. Secundo, an perfectiones, quæ sunt pure creatæ, et in creato genere possint ita depurari ab imperfectione sua, ut inveniantur in Deo formaliter, et eminenter, an vero solum virtualiter. Tertio, an perfectiones istæ si non entitative, et ratione virtutis divinæ saltem intelligibiliter, et in esse intentionali inveniantur in Deo ædemnet, quæ in creaturis.

V. Dico primo: Perfectiones simpliciter simplices secundum suum formalem conceptum inveniantur formaliter in Deo non tamen secundum modum, quo inveniantur in creaturis. Hæc conclusio valde communis est inter doctores. Eam tamen negat Biescas 1 p. q. iv, ar. ii, dub. vii et dicit illam esse contra D. Thomam. Sed expresse doctor sanctus nostram conclusionem docet 1 p. q. xiii, ar. iii, ubi inquit: « Perfectiones procedentes a Deo in creaturas, in Deo sunt secundum eminentiorem modum, quam in creaturis. Intellectus autem noster eo modo apprehendit res secundum quod sunt in creaturis, et secundum quod apprehendit ea, significat per nomina. In nominibus igitur, quæ Deo attribuimus est duo considerare, scilicet perfectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, et huiusmodi, et modus significandi. Quantum igitur ad id, quod significant huiusmodi nomina proprie competunt Deo, et magis proprie, quam ipsis creaturis, et per prius dicuntur de Deo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie dicuntur de Deo, habent enim modum significandi, qui competit creaturis. » Ecce quomodo D. Thomas loquitur de his perfectionibus, quæ sunt simpliciter simplices, ut bonitas, vita, etc. de quibus ibidem ar. ii et postea ar. vi, docet, quod hæc nomina non conveniunt Deo solum causaliter, sed essentialiter, id est, formali-

ter, quia cum dico Deum esse bonum, vel sapientem, non solum dico, quod est causa bonitatis, vel sapientiæ, sicut est causa corporum, sed intendimus dicere, quod est in se bonum, et sapiens; ergo secundum D. Thomam tales perfectiones significatæ per ista nomina non sunt solum virtualiter in Deo, et causative, sed essentialiter, et formaliter, licet quantum ad modum habendi illas non eodem modo sint in Deo, et creaturis, sed eminentiori modo in Deo. Et in hac quæstione iv, ar. ii, quando dicit D. Thomas, quod omnium rerum perfectiones sunt in Deo secundum eminentiorem modum non addit, quod non sunt secundum eandem rationem formalem, ut male aliqui citant.

VI. Ratio conclusionis est, quia remoto modo habendi tales perfectiones, qui ex parte subjecti se tenet, ipsæ perfectiones in suo formali, ac præciso conceptu imperfectionem non important, ergo non est cur negentur Deo, nihil enim negatur Deo nisi ratione imperfectionis. Ut ergo attribuantur Deo, sufficit tollere modum illum imperfectum, qui materialiter solum comparatur ad tales perfectiones, et non ex vi sui conceptus convenit. Et confirmatur, quia sine ulla metaphora, et proprio significato attribuimus Deo istas perfectiones, proprie enim dicimus, quod Deus est sapiens, et intelligens, videns, etc. ergo non est cur tales perfectiones non attribuantur Deo formaliter, et proprie, et sine ulla metaphora, alias nulla esset differentia, quando Deum vocamus ignem metaphorice, et quando dicimus eum sapientem.

VII. Sed est argumentum contra hoc, quia etiam istæ perfectiones, quas dicimus simpliciter simplices non conveniunt Deo, et creaturis univoce, sed analogice, bonum enim, vivens, et intelligens analo-

gice de Deo, et creaturis dicuntur, ut probat Div. Thomas, quæstione illa xiii, art. v, ubi ostendit nullum nomen dici univoce de Deo, et creaturis, ergo tales perfectiones non possunt formaliter inveniri in Deo, et creaturis etiam remoto eo modo, quo in creaturis inveniantur. Consequentia probatur, quia illa nomina non solum ex parte modi quo perfectiones sunt in creaturis, sed etiam ex parte ipsarum perfectionum analogice dicuntur de Deo, et creaturis. Ergo ipsæ perfectiones non habent eandem formalitatem in Deo, et creaturis etiam secundum se, et non solum ex parte modi; alias univoce dicerentur secundum se de Deo, et creaturis, et non analogice, si quidem analogia importat diversitatem derivatam ex ipsa ratione communi, sed modus ille, quo inveniantur in creaturis pertinet ad contradictionem ipsius perfectionis, prout est in creaturis, non ad rationem ipsam perfectionis in communi, ergo in ipsa perfectione secundum se, et ut communis est analogice non invenitur ista diversitas, ergo non secundum unum conceptum formalem inveniantur illæ perfectiones in Deo. Et confirmatur, quia perfectio aliqua prout abstrahit a Deo, et creaturis non potest esse ejusdem rationis in utroque membro dividente, neque potest esse altior Deo, ergo nulla perfectio potest concipi, quæ formaliter sit in utroque, et sic nulla datur perfectio simpliciter simplex in creatura, neque abstrahendo a Deo, et creatura, sed solum in Deo.

VIII. Respondetur has perfectiones convenire Deo, et creaturis analogice, non analogia metaphorica, seu duorum conceptuum, sed analogia proportionalitatis, in qua comparatur conceptum analogum esse formaliter, et proprie in utroque analogato licet cum dependentia

unius ab alio, sicut ens invenitur in substantia, et accidenti sine aliqua metaphora, sed formaliter in utroque et proprie, et sic bene stat, quod Deus, ut causa æquivoeca contineat perfectionem creatam, et tamen formaliter, et proprie perfectio creata sit vera perfectio. Ad probandam consequentiam dicitur, quod licet analogæ non habeant conceptum omnino, et æqualiter unum, bene tamen potest in utroque analogato inveniri illud analogum proprie, et formaliter, et non solum metaphorice, aut virtualiter sicut accidens formaliter participat ens, ita tamen, quod ab ipsa ratione entis inæqualitas illa derivatur. Et idem est de ente respectu Dei, et creaturarum, quia creaturæ formaliter existunt, licet tota diversitas essendi ab ipsa ratione entis derivetur.

IX. Ad confirmationem respondeatur nullam perfectionem abstrahentem a Deo, et creaturis esse altiozem Deo, vel æqualem, quia non est ejusdem univoce rationis in Deo, et creaturis, posset tamen esse formaliter in Deo, et creaturis non quidem secundum eandem formalitatem univoce, et æqualiter, sed secundum eandem proportionaliter, atque ita diversitas, quæ tollit univocationem, non tollit quod formaliter, et proprie et non secundum metaphoram utrique communicate, sicut in exemplo de ente manifestum est. Et sic datur perfectio simpliciter simplex in creaturis, licet ex parte modi, quo est in creaturis non sit pure simplex, sed mixta limitationi. Sed quia hanc limitationem, et imperfectionem non ex vi sui formalis conceptus, sed ex aliquo modo materialiter adjuncto habet, et ab illo purificari potest, datur perfectio simpliciter simplex, id est, purificabilis a limitatione, et modo creato.

X. Dico secundo: Perfectiones ex

suo genere creatæ et ab intrinseco posita in prædicamento non sunt in Deo formaliter eminenter, sed solum virtualiter eminenter. In hac conclusione dissentiunt auctores. Nam quidam existimant istas perfectiones non solum genericas, et specificas, sed etiam individuales quantum ad id quod perfectionis est, esse in Deo formaliter, non tamen eo modo, et cum illa limitatione, quo sint in creaturis, sed purificatæ ab illa limitatione. Quæ est sententia magistri Ledesii, lib. de perfect. div. p. 1, art. 1. Itaque perfectiones creatæ sunt in Deo formaliter eminenter, si ly formaliter appellet solum supra ipsam formalem rationem perfectionis semota imperfectione, quam habent ex modo, quo sunt in creaturis. Si autem ly formaliter appellet modum essendi in creaturis, sic non sunt formaliter in Deo. Et fundamentum reducitur ad hoc, quia nulla perfectio repugnat Deo, nisi ratione alicujus imperfectionis, vel limitationis adjunctæ, ergo illa perfectio creata formaliter semota limitatione, et imperfectione non debet deesse Deo. Consequentia patet, quia nulla perfectio deest Deo cum habeat infinitam. Antecedens vero probatur, quia summæ perfectioni non contrariatur perfectio aliqua, sed deficientia perfectionis, ergo sublata limitatione, et indeficientia a perfectionibus creatis, quicquid restat, Deo non repugnat. Potest autem concipi perfectio creata secundum id quod perfectionis est ablatis imperfectionibus, quia istæ proveniunt ex illis modo, quo sunt in creaturis, non ergo repugnat concipi formaliter sine aliqua perfectione adjuncta quantum est ex vi sui formalis conceptus.

XI. Nihilominus oppositum sustinendum est, nec video quomodo alia sententia sustineri possit, nisi

confundendo perfectiones simpliciter simplices cum perfectionibus in certo genere contentis. Et pro hac sententia videri potest m. Gonzalez hic, disput. XII, conclus. III. Et ejus fundamentum deducitur ex D. Thoma infra, q. xxxiii, ar. II ad III, ubi dicit: « Deum non solum dici bonum, quia est causa boni, sicut dicitur causa corporum, sed quia id quod bonitatem importat in creaturis, præexistit in Deo. » Deus ergo non potest dici, quod est corpus, vel perfectio corporis formaliter, sicut dicitur, quod formaliter est bonus. Et rationem reddit articulo tertio ad primum, quia quædam nomina sunt, quæ significant perfectiones procedentes a Deo in res creatas, ita quod ipse modus imperfectus, quo a creatura participatur includitur in ipso nomine significato, quædam vero nomina significant perfectiones absolute, et non modum, quo participantur, sicut ens, verum, bonum, vivens, etc. Ex quo fit argumentum, quia distincto modo sunt perfectiones simpliciter simplices in Deo, atque perfectiones creatæ, quæ intrinsece sunt in certo genere, sed perfectiones simpliciter simplices non sunt in Deo, nisi remoto modo, quo sunt in creatura. Similiter aliæ perfectiones creatæ juxta oppositam sententiam sunt in Deo remoto modo, quo sunt in creatura, ergo non est distinctio inter perfectiones simpliciter simplices, et inter perfectiones determinati generis. Quod omnino absurdum est, nam perfectiones simpliciter simplices ex suo formali conceptu non sunt in prædicamento, sed ex limitatione accepta ab eo, ad quod pertinent, perfectiones vero certi generis per se, et formaliter sunt in prædicamento.

XII. Et explicatur amplius hoc fundamentum. Quia perfectiones, quæ sunt in certo genere ex suo

quidditativo conceptu, et formaliter spectant ad illud genus, ut animal, equus, lapis, etc. quod patet manifeste, quia prædicata generica, et differentialia, quibus contrahuntur, et ex quibus constituitur species sunt illi essentialia, quia genus, et differentia essentialiter constituunt speciem, quæ ponitur in prædicamento: ergo perfectio specifica, et generica intrinsece, et essentialiter importat perfectionem sic limitatam, quod ex vi sui conceptus includit imperfectionem quæ ingreditur essentialem ejus conceptum. Si autem abstrahatur, et purificetur ab illa ratione imperfectionis, et limitationis purificatur ab eo, quod est sibi essentialia ex vi formalis sui conceptus, in eo in quo distinguitur a perfectione simpliciter simplici, et destruitur ipsa essentialis ratio talis perfectionis prædicamentalis, quia de essentiali conceptu illius est perfectio generica, seu determinati generis, sed non potest formaliter esse in Deo, nisi destruat illa ratio generica, et limitata, ergo nisi destruat essentialis illa ratio non ponitur in Deo. Nam vel illa purificatio, et denudatio ab imperfectione est talis, quod relinquit illam perfectionem extra omne genus, et prædicamentum, vel non. Si non relinquit, ergo prout sic non ponitur in Deo, cui repugnat omnis ratio generica, et prædicamentalis. Si relinquit extra prædicamentum destruit essentialem ejus rationem, quia essentialiter constat ex prædicatis genericis, et prædicamentibus, cum constituatur essentialiter ex genere, et differentia.

XIII. Nec potest dici, quod illa perfectio pertinet ad prædicamentum, et constat genere, et differentia, quatenus est in creaturis, et secundum modum limitatum non prout est in Deo, et secundum modum eminentem, eadem tamen est